

Audiamus id Augustinum clarius capite 8. suae Regulae exponentem: "Etiam cum quis suis filiis aut aliqua neceffitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate Praepositi, ut in rem communem redactum cui necesse fuerit, praebeatur."

Augustinus ergo communia esse omnia voluit, etiam a parentibus aut consanguineis alicui particulari de congregatione oblata, ut cui necesse fuerit praebeantur; id est, indifferenter dispensentur, tamquam toti Congregationi sive omnibus communia, nulli autem pecuniaria.

V. S. Benedictum etiam audiamus: "Ne quis, inquit, praesumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates suas licet habere in propria potestate: omnia vero necessaria a Patre sperare Monasterii: nec quidquam licet habere, quod Abbas non dederit aut permisit. Omniaque omnibus sint communia: ut sicut scriptum est: Nec quisquam suum aliquid dicat vel praesumat."

Nulli aliquid proprium esse vult Benedictus, sed omnia communia, tu scilicet ex illis quae omnia necessaria a Patre Monasterii speret; sive accipiat.

VI. Utque hanc communionem amplius persuaderet, mandat: "ut si a Parentibus Religioso quidquam dicitur, etiam fuerit, non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati, quod si iusserit suscipi, in Abbatibus sit potestate, cui illud jubeat dari. Et non contristetur Frater cui forte directum fuerit, ut non detur occasio diabolo." cap. 54. Regula.

Ergo etiam filii a parentibus directa sive oblata, ita voluit esse communia, ut in potestate Abbatis sit, cui voluerit illa jubere dari.

VII. Et ne occasio diabolo detur, persuadendi scilicet filio Religioso, rem sibi a parentibus directam magis sibi, quam alteri esse debitam, neque omnibus plane communem, voluisse S. Benedictum potius alteri dari, quam filio cui erat directa, non obscure citata verba Regulae innuunt; & jam pridem observavit Dionysius Carthusianus, dum citatis huius Regulae verbis subjicit: "Rursus ex hoc, quod rem alicui Monacho missam voluit S. Benedictus potius alteri datam, quam illi, concluditur quam seriose & integre volebat omnem a suis proprietatem, pecuniamque excludi. In Tract. De Reformat. Claustr. art. 14.

VIII. Hanc rerum omnium perfectam communionem in omnium Patrum Regulis, & Ordinum Constitutionibus expressam & enixe commendatam, Synodus Tridentina tamquam fundamentum ac basim totius Regularis disciplinae ab omnibus Superioribus observari praecipit; eamque inter substantialia Regularis vitae reponere non dubitavit: mandatque Superioribus, ut omnis cura diligentiaque ab iis adhibeatur, ut ab illa non recedatur; "Cum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam Regularis vitae pertinent, relaxari: si enim illa quae bases sunt & fundamenta totius Regularis disciplinae exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est." Sess. 25. De Regularibus. cap. 1.

Post haec subjicit tamquam ex priori Decreto consequens: "Nemini ergo Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitates fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usum fructum, vel usum, administrationem, aut commendam."

Quasi diceret, vita Regularis requirit, ut omnia sint communia; id est, in usum communem totius communitatis sive Fratrum dispensentur: igitur nemini Regularium quocumque pretextu licet aliqua bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere & tenere;

sed ea Conventui incorporanda sunt, tamquam bona ipsius Conventus sive Congregationis, in usum Conventus & Congregationis dispensanda.

IX. Hunc Synodi Tridentinae sensum clarius exposuit Clemens VIII. in Constitutione edita pro reformatione Regularium, quae incipit, Nullus omnino 60. in Bull. R. ubi §. 2. hoc Concilii Decreto ita loquitur: "Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex Fratribus, etiam si Superior sit, bona immobilia, aut pecuniam, proventus, census, elemosinas sive ex congregationibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit."

Manifestum est ex sententia Pontificis, Conventui bona incorporari, idem esse, atque omnia undecumque Religiosis obvenientes cum ceteris Monasterii seu Conventus bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundi, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit; sive ut verbo dicatur: ut omnia inter Regulares sint communia, & dividatur singulis prout cuique opus erit.

X. Citata Clementis Constitutionem innovavit Urbanus VIII. in Constitutione quae incipit, Sacra congregatio 28. Bull. R. ac novissime modernus Pontifex Innocentius XII. in Decreto edito 18. Julii 1695. in quo enixe mandat, vitam communem juxta Decreta suorum Praedecessorum in Monasteriis observari; atque certos Conventus designari ad Novitios educandos; in quibus vita communis exacte observetur, uti supra Tit. 25. cap. 2. nu. 12. annotavimus.

XI. Biennio post absolutam Synodum Tridentinam habita Synodus Provincialis Cameracensis, cui & plures qui Synodo Tridentina interfuerant, assisterunt, decrevit, "Ut omnis illa pecunia vel res quam Monachus vel Moniales acquirere labore sive industria, sive amicorum liberalitate, seu deinde alia qualibet occasione possit, Superiori tradatur, ita ut ad nutum ejus tamquam res communis expendatur." Tit. 8. cap. 10.

Nequaquam ergo dubitarunt hujus Synodi Patres, quin mens Synodi Tridentinae esset, ut res omnes Religiosis undecumque obvenientes Superiori essent tradenda eum in finem, ut tamquam res communis expendantur.

CAPUT VI.

Pecunia Monachorum contrariantur voto paupertatis, & vitae communi.

- 1. Describitur pecuniam servorum, cum quo pecuniam Monachorum in multis convenit.
2. Ostenditur quomodo haec duo pecunia conveniant.
3. Pecuniam Monachorum est separatam a proventibus Monasterii, sicuti pecuniam servorum a rationibus Dominorum.
4. Ubi habentur pecunia, non possunt esse omnia communia.
5. Quomodo pecuniam servi recte dicitur patrimonium servus, ita & pecuniam Monachi, ejus patrimonium bene dicitur.
6. Pecuniam Monachi recte asseritur spectare ad Monachum licet proprietatis civilis esset penes Monasterium.
7. Pecuniam & propriam in Monacho sunt synonima.
8. Monachi pecunia habentis reputantur Proprietarii.
9. Reservationes reddituum vitae aliorum aus cuiuscumque aliterum rei in particulares usum votopaupe...
10. Re

10. Rerum reservationes in particulares usus adversantur vita communi, quam Religiosi profitentur.

11. Sententia Christiani Lupi de similibus reservationibus.

12. Superiorum dissimulatio, aut dispensatio has reservationes licitas reddere nequit.

13. Reservationes ille diametraliter professioni Religiosa opponuntur.

14. Substiti credere non debent Superioribus asserentibus se posse in vita communi dispensare.

15. Non eximuntur a voto proprietatis qui pecuniatene dependenter a voluntate Superiorum.

16. Licentia Superiorum facit subinde Religiosos liberius peccare.

I. Pecuniam Monachorum, cujus frequenter in Regularibus Monachorum & Canonibus Conciliorum mentio occurrit, in multis cum pecunio servorum [de quo in Jure Romano multa dicuntur] convenit: imò ex hoc originem sumpsisse non difficile ex utriusque descriptione apparet.

Pecuniam servorum ita definiti potest, "Patrimonium pusillum, quod servus Domini permissu separatim a rationibus dominicis habet." L. 5. ff. De pecunio.

"Pecuniam [ait Florentinus in l. 39. ff. eodem] & ex eo consistit, quod parcimoniam suam quis paravit, vel officio meruit a quolibet sibi donari, idque velut proprium patrimonium servum suum habere quis voluerit."

II. Haec quomodo convenient pecunio Monachorum, nequaquam obscurum est videre.

Quid enim aliud est pecunium Monachorum, nisi aliqua pusilla pecunia, aut pusillus redditus, aliudve simile, quod Monachus parcimoniam, vel proprio labore, aut parentum, consanguineorum, sive amicorum liberalitate sibi acquisivit, atque a rationibus Conventus permissu Superioris separatim servat sive retinet in suos usus particulares & non in communes totius Conventus sive Fratrum tamquam rem omnibus ad usum communem expendendam.

III. Sicuti ergo pecunium servi est separatim a rationibus seu proventibus Dominicis, eo quod permissu Domini in particulares usus servi sit concessum, ita & pecunium Monachi a rationibus sive proventibus Monasterii verè dicitur separatim; eo quod reservetur in usus, non totius Conventus, quemadmodum reliqui proventus ipsius Conventus, sed in singulares hujus Monachi.

Hinc non difficile intelligitur, quae ratione pecunia Monachorum vitam communem, quam Religiosa professio requirit, labefactent.

IV. Neque enim possibile est, inter illos Religiosos omnia esse communia, ut dividatur singulis prout cuique opus erit; sive ut ex illis tamquam ex rebus communibus victus & vestitus aliique necessaria indifferenter subministrantur, ubi aliqua reservantur ad usus particulares hujus illiusve Monachi; & consequenter nec Conventui incorporantur, sive cum ceteris Monasterii redditibus ac proventibus confunduntur, ut in omnium usus indifferenter, prout cuique opus erit, dispensentur.

Id rectè advertit pius ac eruditus Petrus wallon-capelle Prior Monasterii S. winoci dicens: "Quod alicui certo praefixum reservatur, commune dici non potest."

V. Ulterius quemadmodum pecunium servi rectè vocatur patrimonium; imò proprium patrimonium servi, tamen si proprietatis civilis [cujus servus Jure Romano est incapax] sit, penes Dominum, quia tota utilitas & plenus usus est apud servum, ita quoque pecunium Monachi rectè dicitur pusillum imò & proprium patrimonium Monachi, tamen si ipsa civilis & nuda proprietatis sit apud Monasterium: eo quod pecuniam sive redditus vitalitatis aliarumque rerum plenus usus Monacho sit reservatus.

VI. Cum enim rerum temporalium utilitas unice ferè in eorum usu consistat, quidni res aliqua dicatur propria sive Van Espen Jus Eccles. P. I.

appropriat illi, cui ejus usus est appropriatus seu reservatus. Neque rerum temporalium nuda proprietatis vel possessio multum prodest aut nocet, sed earum usus. Quodjam pridem in Monachis notandum dicit Dionysius Carthusianus dicens: "Magis nocet Religioso habere usum pecuniae sine proprietate civilis, quam habere proprietatem sine usu. Proprietatis namque in se non est peccatum nec ad peccandum inducit, nisi per usum rei... Imò quantum ad progressum de malo in malum, parum aut nihil refert, an habetur usus sine proprietate, an cum proprietate." Tract. De Reformat. Claustr. art. 16.

VII. Merito ergo pecunium & proprium pro synonymis accipiuntur à Glossographo qui in nota marginali ad Cap. MONACHI De statu Monachi ad verbum pecunium apposuit hanc notam, id est PROPRIUM. Idipsum praeterito saeculo in Conventu Canonorum Regularium Congregationis Windesemensis quidam ejusdem Congregationis Canonicus in sua contra proprietarios oratione notavit & expressit. "Quamvis, ait, secundum proprietatem vocum aliud sit pecunium aliud proprium, in praesenti tamen materia, proprium SEMPER pro pecunio sumitur." Habetur haec oratio ad calcem libri cui titulus, Regula S. Augustini cum Constitutionibus Canonorum Regularium Capituli Windesemensis &c. impressi Ultrajecti an. 1553. in qua fortissime ipsa Religiosorum pecunia retunduntur, omnesque praetextus praescinduntur.

Vidimus quoque capite praecedenti, quod Augustino omne id sit proprium, quod non est commune, ad hoc ut singulis de Congregatione ex eo distribuatur prout cuique opus erit; ideoque quocumque reservatur in unius particulares usus, Augustino proprium dici.

VIII. Non mirum proinde si passim proprietatis, & vitam communem infringentibus anaumerentur Religiosi, qui redditus vitalitatis, aut pecunias aliasve res propria industria, labore, aut parentum vel amicorum liberalitate partas in suos particulares usus reservant. "Proprietarii [inquit Directorium Colonienfè] similiter censentur, & contra vitam communem agere Religiosi, qui in proprios ac particulares usus, redditum alium quem sibi emunt, aut emptum retinent." Directorium hoc Ecclesiasticae disciplinae Colonienfè praesertim accommodatum, editum est à Domino Octavio Frangipano Mirtho Episcopo Tricaricensi Apostolicae Sedis per inferiorem Germaniam & Belgarum Provincias Nuntio; & à Sacra Facultate Theologica Lovaniensè probatum.

IX. Synodus P. I. Mechliniensis volens vota Religiosis exactè observari inter alia praecipit: "Pensiones autem vitales, aut redditus perpetuos nulli permittantur recipere, neque liceat eis ratione officiorum, vel ministeriorum pecuniam corraderè, aut conservare, etiam si in suos usus convertere velint, sed omnia in communem usum convertantur." Tit. De Regularibus. cap. 2.

Nequaquam obscurum est, Synodum hanc supposuisse voto paupertatis esse contrarium, rem quamcumque in usus particulares reservare, nec in communem usum convertere.

Similiter Synodus P. I. Cameracensis, ut huic pestifero vitio [proprietatis] obviam eatur, omnibus omnium Ordinum Superioribus mandat, ut rescendant & aboleant prorsus universa illa emolumenta & jura quae antiquo more quibusdam Monasteriorum Officialibus concedi solebant. Breviter, pergit Synodus, omnis illa pecunia, vel res quam Monachus vel Monialis acquirere sive labore, sive industria, sive amicorum liberalitate, seu denique qualibet alia occasione possit, Superiori mox tradatur; ita ut ad nutum ejus, tamquam res communis, expendatur." Tit. De Monasteriis capite 10.

Judicavit haec Synodus, vitio proprietatis haud obviam iri, nisi omnis pecunia Monacho quocumque titulo obveniens Superiori mox tradatur, ut ad ejus numerum

tum tamquam res communes, expendatur: argumento haud obscuro, Synodum judicasse, reservationes pecuniarum aliarumque rerum ad usus particulares hujus illiusve Religiosi, voto paupertatis & vitæ communi esse contrarias.

X. Viderunt id quoque Patres Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui advertentes, quod radix & fomes omnium ferè malorum sit PROPRIETAS, injungunt Ordinis Generali, ut eam omnino eradicare procuret, nulloque modo in nostra Religione, inquit, tolerari permittat, sed quòd juxta SS. Apostolorum morem & D. P. N. Augustini Regulam communis omnibus vita, ac omnium rerum temporalium inter ipsos Fratres sit beata communitas, undè omnia bona profluenter prosperèque succedant. part. 3. cap. 4.

Patenter supponunt hi Patres, nullatenus vitium proprietatis eradicari posse, nisi communis omnibus vita, & omnium rerum temporalium inter Fratres beata communitas, rerum reservationi ad usus particulares hujus illiusve Religiosi è diametro repugnans, stabiliatur.

XI. Quapropter Christianus Lupus ejusdem Ordinis Professor, & quondam Prior Provincialis, tertie classis proprietarios de quibus Cassianus Monast. Instit. lib. 7. cap. 24. ait esse illos, qui omnia quidem sua Monasterio dant aut pauperibus, sed sibi aliquam reservant pensionem aut censum. Ipsorum, ait, exordium est omnino vitiosum, Monastica quippe professio non est aliud quàm omnium temporalium ab renuntiatio, atque ita advertsum illos rectè dixit in tertia collatione Abbas Panutius: Necdum Evangelicum implet mandatum, qui omnino sibi adhuc ex suis facultatibus aliquid RESERVAVAT. Et adjungit: Sicut nonnulli tepidorum faciunt. Utroque pede claudicant, nec Monachum s'induunt, nec sæcularem deponunt. Hæc Lupus tomo 4. Schol. ad Can. 6. Tholosanum, qui deinde relatis variis vitiis ex hac pensionem aut censum reservatione profluentibus, quæ ipsa Cœnobii pedetentim ad universam formam omnis Monastica disciplina expertem transvertunt, infert: Quare qualicumque professioni adjecta pensionis reservatio est adversa substantiæ, aut certè fœda conditio, idèoque habenda pro non apposita. Eam Præfecti obligantur circumducere & in communem substantiam evocare. Nulla hic dotalis eleemosyna, nec similis quis humanæ infirmitatis palpo fucus valeat patrocinari.

XII. Si ergo hujusmodi peculiorum, vel pensionum reservationes adversa sint professioni Religiosæ, ut potè voto paupertatis & vitæ communi contrariæ, sequitur, quod eas nec Superiorum dispensatio vel indulgentia licitas reddere queat: Cum compertum sit, ait Synodus Tridentina, ab eis Superioribus non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari. Sess. 25. De Regularib. cap. 1.

XIII. Unde Synodus Audomarenfis habita præterito sæculo sub Joanne Six in hac Universitate quondam Majoris Collegii Theologorum Præsidente, deplorans, ex quo in oblivionem abiit exemplum initio nascentis Ecclesiæ in Ananiam & Saphiram editum, invasisse pleraque Monasteria exitiosam rerum proprietatem, ex diametro Monastica professioni contrariam, præcipit, ut præfecti & Præfectæ vigilent, si suarumque salutem consultum ve-

lint, ut exterminetur hæc pestis, curentque, ut ablatis ab omnibus, nisi omnibus rebus, quas ut proprias possident, victus & vestitus, ceteraque vitæ necessaria, æqualiter omnibus, pro indigentia uniuscujusque necessitate & Monasterii facultate, placidè ac benigne ex communi thesauro ac penu subministrantur, non pecuniis æstimata ac compensata, sed ipsis rerum speciebus præsentia. Id enim, inquit, eis in virtute sanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus: nec aliud præcipimus, quam id quod Superiores quidem ex officio prorsus curate tenentur, nulla ipsis relicta dispensandi facultate; Religiosi vero, ex ea quam Deo fecerunt sponcione, observare. Deinde postquam ostenderunt ex cap. CUM AD MONASTERIUM De Statu Monach. quod nec Summus Pontifex possit super proprietate habenda cum Monacho dispensare, tamquam ex præcedentibus consequens subjiciunt: Quare aboleatur ea consuetudo, quæ consueverunt Superiores Religiosis singulis annum numerate aut permittere pensionem, atque ita redimere necessaria vitæ eorum; nec alicui Pecunia permittatur, nisi pro injuncta a Prælato administratione, sed prorsus omnia in communem usum convertantur, ita ut impleatur à Religiosis quod sibi imitandum supererunt, & ad quod Religione sempiterna se obligarunt (non potest res ista inculcari satis) illud primitivæ Ecclesiæ: Multitudinis credentium erat cor & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, avit. debatur singulis prout cuique opus erat.

XIV. Et ne Religiosi crederent se Superiorum auctoritate aut indulgentiâ posse reddi securos; aut temere Superioribus dispensandi facultatem sibi asserentibus fidem haberent, Clemens VIII. in citata Constitutione, postquam declaravit, ac præcepit, ut res omnes undecumque & quicumque ex causa Religiosis obvientes cum cæteris Conventus redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis victus & vestitus omnibus suppeditari possit, addit: Nulla quoruncumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia fratres excusare possit, quo minus culpa & pœna ab ejusdem Concilii Decreto impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxii sint: etiamsi superiores asseverent se ejusmodi dispensationes aut licentias concedere posse: quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

Ad quæ verba reflectens Fagnanus ait: His verbis improbantur opiniones illorum, qui asserunt Regulares res excusari à proprietate, cum habent peculium de licentia Superioris & dependentes ab eorum voluntate & nutu: jam enim patet non pendere à voluntate & dispensatione Superiorum, pergit Fagnanus, quia omnia sunt confundenda cum cæteris bonis Monasterii pro communibus necessitatibus.

Non ineptè proinde Religiosis peculia ac pensiones suas vitalitatis auctoritate Superiorum vindicantibus respondit Petrus à Wallon - cappelle Prior Monasterii S. Winoci: Utinam non ex consensu eorum & indulgentia fierent. Siquidem minus in Deum peccaretur. Nam per crudelem hanc dispensationem & conniventiam fit, ut sine ullo conscientie scrupulo, ac proinde sine ullo pœnitentiæ remedio peccetur.

ADDITAMENTA AD CAP. VI. & VII.

Statutum Capituli Generalis Cisterciensis contra vitium proprietatis anni 1683.

Cum ad audientiam Capituli Generalis clamorosa relatione pervenerit pessimum ac detestabile proprietatis vitium, quod ipsamet Religionis fundamenta evertit, in Provincia Vasconia quodammodo impunè regnare in perditionem animarum manifestam: hoc malum radicitus extirpare cupiens Capitulum Generale, injungit ac mandat Reverendo Admodum de Claravalle, ut omni mora postposita ad dictam Provinciam Vasconiam personaliter accedat, eandemque visitando inter cæteros abusum dictum proprietatis vitium singulariter damnet, inhibeat ac proferbat sub pœnis in jure ac Ordinis statutis contentis. Et ut hæc damnatio ipsius inhibito ac

proscriptio efficaciorum fortiatum effectum, idem Reverendus Admodum Dominus de Claravalle in Capitulis generalium Monasteriorum residens, peculiarem omnium personarum regularium pecunias ad se deferri jubeat, easque in commune confusas Cellerariis tradat in commune servaturas: similiter faciat de blado, vino aliisque rebus tam mobilibus quam immobilibus insuper strictissime præcipit idem Capitulum Generale Vicario Generali aliisque Superioribus Monasteriorum aliorumque locorum Regularium supradictæ Provinciæ Vasconicæ ut ordinationes à dicto Reverendo Admodum Domino Abbate de Claravalle faciendas, manuteneant ac executioni mandent sub pœna depositionis & inhabilitatis ad quæcumque officia consequenda. Et ut omnibus terror salutaris injiciatur præcipit etiam Capitulum Generale ut si quæ persona Regularis Ordinis nostri in hoc detestabili proprietatis vitio obicitur etiam si vita discesserit, in sterquilino una cum suæ libertatis substantiâ projiciatur. Quas omnes supradictas ordinationes, inhibitiones & pœnas præfens Capitulum Generale extendit ad omnes Regulares personas Ordinis universi. Mandatur etiam Abbatibus, Prioribus & Abbatissis sub pœna standi extra statum & locum præfidentie suæ & alius arbitrio Visitatoris infligendis, ut Religiosis necessaria administrent, ne occasio eis detur ad habendam proprietatem.

CAPUT VII.

Omnibus ex communi Monasterii substantia necessaria subministranda, & quæ in horum usu observanda?

1. Vitio proprietatis occasionem dant Superiores vitæ necessaria non subministrantes.
2. Sanctus Benedictus omnibus vult necessaria dari, ut vitium proprietatis extirpetur.
3. Idem sollicitè inculcat S. Augustinus.
4. Palmare fundamentum communitatis Monachalis est subministratio necessariorum.
5. Quid Synodus Tridentina & Synodus Belgicarum de hac obligatione Superiorum Decretæ?
6. Unica via eliminandi vitium proprietatis est necessariorum placida subministratio.
7. Ut huic obligationi satisfacere queant Superiores, voluit Synodus Tridentina, ut non plures quam ex obventibus aliis possint recipiantur.
8. Hanc fuisse scopum Synodi ostenditur ex Bellarmino.
9. Multam condicit ad observantiam Regularem observantia dictæ Decreti Tridentini.
10. Religiosi cavere debent, ne quaquam eorum, quæ ad usum conceduntur, possideant ut proprium.
11. Qui eo affectu possidet coram Deo est proprietarius.
12. Ut veteres Monachi se ab eo affectu immunes ostenderent dicere, non runciam, meam, tabulas meas, &c.
13. Quid ad præcavendum hunc affectum in Religiosis fecerit S. Theresia?
14. Quando merito eodem, quo nra est, remedio utantur Superiores Religiosorum.
15. Cavere debet insuper Religiosus ne concessis ad usum utatur ut propriis.
16. Hoc præcipit cavendum in his qui extra Monasteria morantur.
17. Prudentissimum circa hoc Canoncorum Præmonstratensium Decretum.

I. EXPERIENTIÀ semper compertum fuit, nullo ex capite vitium proprietatis tantum in Monasteriis sumere incrementum, quam ex negligentia & duritia Superiorum subditis placidè ac benigne vitæ necessaria, ex communi Monasterii substantia non subministrantium.

Hinc nihil tantopere in Patrum atque Conciliorum Regulis commendatum Superioribus, quam ut cuique prout opus erit ex communi Monasterii penu placidè ac benigne suppeditent; tamquam efficacissimum vitio proprietatis arcendo ac extirpando remedium.

II. Ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur (ait S. Benedictus in Regula cap. 55.) dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria; id est, cuculla, tunica, pedules caligæ, braciæ, cullellus, graphium, acus, mappula, tabula: ut omnis auferatur necessitatis excusatio.

III. Quam sollicitè inculcet S. Augustinus, ut Prælati omnibus, non qui sem æqualiter, sed pro cuiusque necessitate, victus & vestitus ex communi Monasterii substantia suppeditent, tota ejus Regula clamat.

IV. Synodus Tolosana anno 1056, jussu Victoris II. Van Eipen Jus Eccles. P.I.

Pontificis convocata assistentibus tribus Archiepiscopis Arelatenfibus, Aquis & Narbonensibus aliisque Coepiscopis Canone 6. decrevit, ut Abbates curam Monachorum & Monasteriorum exerceant, & eis victum & vestitum secundum Regulam S. Benedicti præbeant, & hoc agentes proprium eos habere nullatenus permittant.

Ad hunc Canonem notas suas apponens P. Lupus: Ad eradicandum plene proprietatis lepram, Canon, inquit, rectè addit, eis victum & vestitum præbeant. Hoc enim est primum & plamare Monachalis communitatis fundamentum.

V. Synodus similiter Tridentina postquam vitium proprietatis è Monasteriis eradicandam esse monuit, mox etiam Superioribus præcipit, ut nihil subditis, quod sit necessarium, denegentur.

Quamque hac in parte Synodi nostræ Belgicæ sollicitè monuerint Monasteriorum Prælatos, hæc bina eorum Decreta ostendunt.

Synodus Cameracensis apprimè intelligens omnia à se Decreta ad eliminandum proprietatis vitium fore inutilia & inefficacia, ni ex communi Monasterii proventu necessaria Religiosis suppeditentur, hæc suo Decreto adicere voluit: Tandem quòd ea omnia facilius, diligentius, nec non absque tædio queant observari, præcipit Sancta Synodus cunctis cunctorum Monasteriorum sexus utriusque Superioribus: quatenus secundum Regulam, ac Majorum Instituta benigne, nec non placidè subministrant omnia in universum, quæ suis subditis necessaria fuerint & convenientia, ne inferioribus præbeant ansam detrimenti voto paupertatis valde gravidis, in qua quidem re, si negligentiores extiterint, admoniti à suo Superiore omnino compellantur.

Eodem motivo Synodus P. I. Mechliniensis, cum peccatissimum hoc proprietatis vitium penitus eliminandum censuisset, tamquam consequens præcipit, ut victus, vestitus, ceteraque vitæ subsidia singulis ex communi pro necessitate indigentia, & Monasterii facultatibus subministrantur. Tit. De Regularibus cap. 2.

VI. Non sine fundamento proinde supra nominatus Canonicus Regularis in Oratione coram Congregatione Canonicorum Regularium Windesemensis volens prælatis ostendere excellentiorem & brevioram viam ad obviandum vitio proprietatis, hæc ostendit: ut faciatis quæ fecit Dominus & discipuli ejus. Cum enim vidisset Jesus turbas esurientes, ne haberent quod manducarent, noluit ut irent in villas & vicos, & procurarent sibi; nec etiam voluit eos dimittere jejunos in domos proprias, ne deficerent in via; sed ait Discipulis suis, vos date illis quod edant. Ita, Venerandi Patres, vos date subditis vestris necessaria, ne opus habeant ab amicis quidquam emendicare. Si vestes, si cullellus, si devotos libellos, aut simile quid desideraverint, vos si tamen superflua non quaesierint in charitate emite illis: sic occasionem proprietatis amputabitis, & ex domibus vestris eliminabitis.

Sed reperiantur, proh dolor! Prælati parum curantes quid subditi faciant, aut unde sibi quæ desiderant